[illegible] ulus
[illegible] lus du-
plici concione coram Neoe-
vangelicis perorans.

PAULUS
JESU CHRISTI APOSTOLUS

Anniversario Conversionis suæ Die,

DUPLICI

CONCIONE,

Coram Neo-Evangelicis perorans inducitur,

Per

P. GODEFRIDUM HANNENBERG S. J.

Permissu Superiorum.

CALISSII,

Typis S. R. M. Collegii Soc: JESU.

Anno Domini 1727.

--URSA--hæc nocturna ſuo Sidere vela regit.

Propertius.



Lux delapſa polo Paulum formavit Olympo
In Stellam, & meruit Paulus in aſtra rapi.
Noctibus è mediis converſio quanta diei,
Hanc CYNOSURA vales ingeminare diem

PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOANNI
de Gałczyno
GAŁCZYNSKI

Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis Canonico, Archidiacono & Officiali Calissiensi Præposito Białcensi *In Calissiensi Soc: JEU Collegio Sacræ Theologiæ FUNDATORI* Domino & Mecænati Munificentissimo.

P*Aulum, ut à Sacris exedris S. R. Ecclesiam defendentem; ita contra Hæreses fulminantem* vocali Tui Nominis *declaro famæ classicô.* Perillustris Reverendissime Domine. *Hic Paulus quem describit volumen, rapti ad cælum Pauli mentem explicat, eructat caput cæleste id, quo plenum fuerat, supplet vivi facundiam Scriptus, & quæ viderat in cælo proclamat in pagina. Os illud cæleste muto hoc loquitur codice quod cælo didicit Magistro: cor suum aperit per* Te Joannē, *vitâ, meritis, probitate Tua, vocem interpretem. Raptus ille ad tertium cælum permixtus Angelis, illa docet in hac redux ad terras pagina, quæ Angelicam commendant fidem. Verborum quidem sonum Supprimit conformis arcano*

cano cœlorum silentio, sed prædicat epistolis, facitq; Sermonem absens à terris, ad mundum absentem à cœlis. Desijt ergo Paulus loqui quæ didicit, sed vocali hoc libello profert, quæ Scripsit calamo. Tu Joannes *oris tui gratia & Majestate instillare veritatem Romanam facillimè, persvadere veram doctrinam efficaciter, orthodoxæ fidei oracula sic svaviter proponere auribus, ut fortiter imprimere cordibus poteris. Et cum Doctor Gentium errantem per devia Hæresim de rectæ fidei planissimo itinere satagit erudire, gentilitio Tuo sidere candidæ lumen fidei præferas devianti ingenio. Conversus Apostolus perversa dogmata sub Tuis vult subruere auspicijs, & Tecum Orthodoxæ Religionis Achille triumphare. Classicum certè Pauli, Tuæ Famæ crede classicum; eodem celebraris Theologus contra Hæreses, quo ille celebrabatur Apostolus contra perfidiam. Stant utiquè in perenne Tuæ Munificentiæ monimentum Tua liberalitate erectæ Superum Aræ, quibus succollantur Numina, publica attollitur pietas, & perenne Catholicæ fidei assurgit ornamentum. Et quàm splendidè Religionis Orthodoxæ illuminasti Majestatem, cum Solem Theologicum in Agno Karnkoviani athenæi, constituisti, & aurea dextera ad Divinæ eruditionis meridiem promovisti ut motrix intelligentia. Hæc sunt adeo clara documenta, hæc Tuæ in Orthodoxam fidem pietatis evidentia argumenta, quibus dum convictas adnecto Hæreses, hac votorum concludo epitome; ut qui Majestatem Veræ fidei sublimas Tuæ Virtutis Alto, Eminentissimum Orthodoxi Orbis conscendas fastigium. Ita vovet.*

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO
NOMINI TUO.

Devinctissimus
Godefridus Hannenberg Societatis JESU.

CONCIO PRIMA

Ad Neo Evangelicos in communi.

(*a*) PAulus Apoſtolus non ab hominibus nec per hominem, ſed per Jeſum Chriſtũ & Deũ Patrem qui ſuſcitavit eum â mortuis. Gratia vobis & Pax à Deo Patre, & Domino noſtro JEſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei & Patris noſtri, cui eſt Gloria in ſæcula ſæculorum. Miror, quòd ſic tranſferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licèt Angelus de Cælo Evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema ſit. *Nonne* prædiximus (*b*) Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribûs, & à veritate quidem *Exordium.*

a. Gal: c,1. v.1.2.3.4.5:6:7:8: b 2. Tim: c.4. v 3 4 &c

auditum avertent, ad fabulas autem (*novas videlicet Scripturæ Interpretationes*) convertentur. (*c.*) Non ut confundam vos, hæc dico, sed ut Filios chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non Patres. (*d.*) Iterum dico: ſi quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. An quæro hominibus placere? Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Evangelium quod evangelizatum eſt à me, non eſt ſecundùm hominem. (*e.*) Currebatis benè, *olim in Eccleſia Catholica*: quis vos impedivit veritati non obedire? Modicum fermentum (*Lutherus cum aſſeclis ſuis*) totam maſſam corrupit: utinam & *nunc* abſcindantur, qui vos conturbant. (*f.*) Obſecro igitur vos, Fratres, per Nomen Domini noſtri JESU Chriſti ut, (*quod nos, noſtriq; per tot ſæcula in Eccleſia Chriſti ſucceſſores*) idipſum dicatis omnes, & non ſint Schiſmata. (*g.*) Unum Corpus & unus Spiritus, ſicut vocati

eſtis

c. 1. *Cor:* c. 4. v. 14. *d. Gal:* c. 1. v. 9. 10. 11. *e. Gal:* c. 5. v. 7. 9. 12: *f.* 1. *Cor:* c. 1. v. 10. *g. Ephe:* c. 4. v. 4.

eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma. (*h.*) Laudo *quidem* vos, quòd per omnia mei memores eſtis: (*magniq́; facitis Diem Converſionis meæ.*) Imitatores ergo mei eſtote, ſicut & Ego Chriſti. *Nequaquam tamen laudare poſſum, quòd ſpretâ antiquiſſimorum Doctorum expoſitione, Epiſtolas meas ſenſu peregrino & à veritate prorſus alieno, ſumere non veremini.* (*i.*) Volui itaq; apud vos eſſe modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. *Quod olim de Libris Moyſis, idem nunc de Epiſtolis meis verificatur.* (*k.*) Uſq; in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper Caput eorum: cùm autem converſi fueritis ad Dominum, auferetur velamen. *Scripturæ explicationem apud Eccleſiæ Præpoſitos & Patres antiquos quærite:* (*l.*) Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem. JEſus Chriſtus heri & hodie, ipſe &in

De Scripturarũ Intelligentia & Interpretatione.

h. 1. *Cor:* c. 11. v. 2. & c. 4. v. 16. *i.* *Gal:* c. 4. v. 20.
k. 2. *Cor:* c. 3. v. 15. 16. *l.* *Hebræ:* c. 13. v. 7. 9.

& in sæcula. *Semper idem, vera Ecclesia ejus nequit deficere.* Doctrinîs itaq; variîs & peregrinîs nolite abduci. *Quâ conscientiâ Ministrorum vestrorum Interpretationi potiùs, quàm Ecclesiæ Catholicæ confiditis?* (*m.*) An à vobis Verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit? si quis videtur Propheta esse aut Spiritualis, cognoscat quæ scribo, quia Domini sunt Mandata. (*n.*) Non sumus sicut plurimi adulterantes Verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur: (*o.*) Qui & idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti, non literâ sed Spiritu: litera enim occidit, Spiritus autem vivificat. *Qua de causa credendum Novatoribus? An quia novitates ferunt?* (*p.*) Fratres, non simus parvuli fluctuantes, qui circumferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum ad circumventionem erroris: *An quia svavi eloquiô, & splendidâ verborum Pompâ instructi, ad vos veniunt?* (*q.*) Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira

Dei

m. 1. *Cor:* c. 14. §. 36. 37. *n.* 2. *Cor:* c: 2. §. 17. *o.* 2. *Cor:* c. 3. §. 6. *p.* *Ephe:* c. 4. §. 14. *q.* *Ephe:* c. 5. §. 6.

Dei in Filios diffidentiæ. (*r.*) Sermo meus & Prædicatio mea, non in perſvaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs & virtutis: ut Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. (*ſ.*) Si linguîs Angelorum loquar, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans. *An quia Textum Græcum aut Hebraicum (qvem rarò quis ex vobis, prout oportet, intelligit) in medium producunt?* (*t.*) Fratres ſi venero linguîs loquens, quid vobis prodero, niſi loquar in Revelatione, aut in ſcientia, aut in Prophetia, aut in Doctrina? Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? eritis enim in àëra loquentes. (*u.*) Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.

 (*m*)

r. 1. *Cor:* c. 2. v. 4. 5. 12. *ſ.* 1. *Cor:* c. 13. v. 1. *t.* 1. *Cor:* c. 14. v. 6. 8. *&c:* *u.* *Col:* c. 2. v. 4.

(*w.*) *Itaq;* Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis: (*z.*) Deſideravi videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ Spiritualis: (*a.*) & compleam ea, quæ deſunt Fidei veſtræ. *Demonſtrabo in præſenti, idem omnino uſq; adhuc docere Eccleſiam Romanam Catholicam, quod ego olim docueram: è contra, Miniſtrorum veſtrorum opiniones, ſenſui meo prorſus eſſe contrarias. Quod ipſum ex Epiſtolis meis deducam.* (*b.*)Non enim alia *dicemus* vobis, quàm quæ legiſtis & cognoviſtis: ſpero autē, quòd uſq; in finem cognoſcetis, ſicut cognoviſtis ex parte. Et hac cōfidētia volui venire ad vos: (*c.*)Non ut cōtriſtemini ſed ut ſciatis, quam charitatē habeā abundantiùs in vobis. (*d.*) CùmErgo hoc voluiſſem, nūquid levitate uſus ſum? aut quæ cogito, ſecūdùm carnē cogito? (*e.*)Quod facio, faciā, ut amputē occaſionē eorū qui quærūt occaſionē ut glorientur. Nam ejuſmodi Pſeudo Apoſtoli ſunt Operarii ſubdoli, traſfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum, ipſe enim Sata-

Propoſitio.

w Gal: c 4. v 19 z. Rom: c 1 v. 11 a 1. Theſ: c 3. v 10 b 2. Cor: c 1 v. 13 15. c 2. Cor: c 2 v. 4 d. 2. Cor: c. 1, v. 17. e. 2. Cor: c. 11. v. 12. &c:

nas trasfigurat ſe in Angelum lucis. Non eſt ergo magnum, ſi Miniſtri ejus transfigurentur velut Miniſtri Juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. (*f.*) Memoriam *autem* veſtri faciam in orationibus meis, ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis veſtri, ut *intelligentes quæ dixero*, ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ Hereditatis ejus in Sanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos.

De Fide & Juſtificatione peccatoris.

(*g.*) Ipſe ego Paulus obſecro vos per manſvetudinem & modeſtiam Chriſti, ne præſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos, tanquam ſecundùm carnem ambulemus: *ac doceamus Epiſtolîs noſtrîs, per ſolam Fidem in Chriſtum, ſine adminiculo charitatis aut Pænitentiæ homines juſtificari; ſolamq; Fidem ad vitam adipiſcendam beatam ſufficere: Opera bona non requiri, aut ſaltem, ut alii*

f. Eph: c. 1. §. 16. &c: *g.* 2. Cor: c. 10. § 1. 2.

ut alii (*h.*) Contentiones enim ſunt inter vos) *non prodeſſe ad Salutem, vel non eſſe Merita. Quod quidam ex nonnullis effatis meis, opera Legis Judaicæ rejicientibus, Fidem verò in Chriſtum ſollicitè promoventibus, colligunt perverſiſſimè. Sciendum itaq;, non aliam me hac in parte Doctrinam tradidiſſe, niſi quam ad hunc uſq; diem Catholica profitetur Eccleſia. Videlicet: hominem non juſtificari ex operibus Legis Judaicæ & Circumciſionis: nec ex ullis operibus ante Fidem factis: nec propter opera tanquam merita ſtrictè talia, gratiam conſequi Juſtificationis. Sed hanc dari nobis gratis ex Meritis Chriſti: ad quam nihilominus tenetur homo adultus ſe diſponere per Fidem nec ſolùm per Fidem; ſed & per Spem ac charitatem aut Pœnitentiam. Præterea tenetur homo jam juſtificatus, præfatam gratiam conſervare per bona opera & Mandatorum obſervationem, ſi vult ad vitam ingredi: quibûs utpote Gratiâ Chriſti dignificatîs, augmentum ipſius gratiæ & Gloriæ promeretur. Et hanc Salutis viam omnibus in Tito monſtrave-*

h. 1. Cor: c. 1. v. 11.

ſtraveram: (*i.*) Admone, ad omne opus bonum paratos eſſe, neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe ſed modeſtos. Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Selvatoris noſtri DEi: non ex operibus Juſtitiæ quæ fecimus nos, (*En de operibus ante Fidem & Baptiſmum ſermo eſt*) ſed ſecundùm ſuam Miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum Regenerationis & Revelationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per JEſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratiâ ipſius, heredes ſimus ſecundùm ſpem, vitæ æternæ. Fidelis Sermo eſt, & hîs volo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo: (*en poſt juſtificationem manus bonis operibus admovendæ*) hæc ſunt bona & proficua hominibus. *en Merita.* (*k.*) Sic ſtate in Domino chariſſimi, & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiet corda

veſtra,

i. ad Titum c 3. v. 1. & ſe: k Philip: c, 4. v, 1. 7.

vestra, & intelligentias vestras in Christo JEsu. *Ut autem veritas hæc reddatur manifestior, eam per partes in Epistolis meis indigito.*

De operibus Legis Judaica.

1. *Nomine operum Legis, quæ à Justificatione excludo, Legem Judaicam, præsertim Circumcisionem intellexi. Sic:* (*l.*) Ex operibus Legis non justificatur omnis caro. Arbitramur enim justificari hominem per Fidem sine operibus Legis. *De qua hìc Lege loquimur? Non de Lege Divina charitatis & pænitentiæ: scriptum est enim capite præcedente:* (*m.*) Factores Legis justificabuntur: *Sed de Lege Judaica Circumcisionis: ut ex ejusdem capitis tertii versu 29. 30.* An Judæorum Deus tantum? Item: Justificat Circumcisionem ex fide &c: *clarè colligitur. Sic & illud:* (*n.*) Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur Fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei: *de opere circumcisionis intelligendum, cùm totô hoc Capite quartô de Circumcisione agatur. Ideoq; v. 10. dicitur*

quomo-

l. Rom: c. 3. v: 20 28. *m.* Rom: c: 2. v. 13: *n.* Rom: c. 4. v. 5.

quomodo ergo reputata eſt Fides Abrahæ ad Juſtitiam? in circumciſione? non in circũciſione. *Quapropter v.16. ſolos Judæos ex Lege eſſe dixi: quid? ergo Chriſtiani Legem non habent? habent, ſed non judaicam, de qua hìc ſermo eſt. Similî modô loquor ad Corinthios*, (*o.*) Circumciſio nihil eſt, ſed obſervatio Mandatorum Dei. (*En Circumciſionem, non Dei mandata rejicio.*) Factus ſum Judæis tanquam Judæus, iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, cùm ipſe non eſſem ſub Lege. *Quid? igitur ego ſub nulla Lege eram, ſub nullis Præceptis? nequaquam: eodem enim verſu 21. adjeceram:* cùm ſine Lege non eſſem. *Nemo itaq; ambigere poteſt, me ſolam Legem Judaicam Circumciſionis repudiaſſe. Idem cenſendum de ſimilibus ſententiis meis.*

2 *Docui, non ex operibus ante Fidem aut ſine Fide elicitis, juſtificari homines.* (*p.*) Iſrael ſectando Legem juſtitiæ, in Legem Juſtitiæ non pervenit Quare? quia non ex Fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis — **De operibꝰ ante Fidem.**

nis

o. 1. Cor; c. 7. v. 19. & c. 9. v. 21. &c: p. Rom: c. 9. v. 31:

nis &c: *id est Christum.* (*q.*) Qui nos liberavit & vocavit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo JEsu.

3. *Ex nullis operibus velut meritis, strictè talibus haberi dixi Justificationem,* (*r.*) Gratiâ enim estis salvati per Fidem & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus; ut nequis glorietur. Ipsius enim sumus Creatura, creati in Christo JEsu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. *En, nec fides nec Justificatio debetur operibus.* (*s.*) Si *enim* gratiâ, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.

De Gratia Justificationis.

4. *Sed justificamur immediatè per gratiam Christi: : per Fidem autem* (*utpote initium omnis Justificationis*: & sine qua impossibile est placere Deo) *disponimur ad hanc ipsam Gratiam. Sicut dictum est:* (*t.*) Justificati gratìs per gratiam ipsius: quem proposuit Deus, propitiationem per Fidem. (*u.*) Gratiâ enim estis salvati (*id est justificati*) per Fidem.

q: Tim: c 1. 9. r. Eph: c. 2 v: 8 9 10. s. Rom: c: 11: v: 6. t. Rom: 3. v. 24: 25: u. Eph: c: 2: v: 8.

5.

5. *Non tamen per ſolam Fidem ad memoratam Juſtificationis gratiam, ſed & per ſpem ac charitatem, vel pœnitentiam, diſponi debemus.* (*w.*) Spe enim ſalvati ſumus. (z.) In Chriſto JEſu neq; Circumciſio aliquid valet, neq; præputium ſed Fides, (*ſolane? nequaquam, ſed*) quæ per charitatem operatur. (*a.*) Pax Fratribus & charitas cum Fide à Deo Patre & Domino noſtro JEſu Chriſto: *non autem ſola Fides.* Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum JEſum Chriſtum: *non verò qui tantùm credunt in eum.* (*b.*) Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & Fide non fictâ. Superabundavit gratia Domini noſtri JEſu Chriſti cum Fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto JEſu. (*c.*) Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: *En pænitentia in Salutem non verò ſola Fides. Nonne Tito olim deſcripſeram, qualemnam ego ipſe Fidem habuerim?* (*d.*) Paulus Servus Dei, Apoſtolus

De diſpoſitione ad Juſtificationem.

w. Rom: c: 8: v: 24: Z: Gal: c: 5: v: 6: a: Eph: c, 6: v: 23: 24: b: 1: Tim: c: 1: v, 5: 14: c: 2: Cor: c: 7: v: 10: d. ad Titum, c: 1: v: 1: 2:

ſtolus autem JEſu Chriſti ſecundùm Fidem Electorum; (*tantùmne Fidem in Chriſtum? non*:) & agnitionem veritatis (*ſolamnè Fidem? non*:) quæ ſecundùm pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia.

De neceſſitate bonorum operum poſt Juſtificationem:

6. *Poſtquam autem per gratiam Jeſu Chriſti juſtificatus eſt homo. adhuc ad Salutem, ſicut & ad hanc ipſam gratiam conſervandam atq; augendam, requiruntur bona Opera & Mandatorum obſervatio. Nonnè cunctîs Epiſtolîs meîs vos moneo*, (*e.*) ad omne opus bonum paratos eſſe. (*f.*) Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: (*ad quid? ut ſecuriùs & liberiùs abſq; cura bonorum operum viverent Chriſtiani ? non, non, ſed*) ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. (*g.*) Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem Myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu:

in quo

e: ad Titum c: 3: v: 1: f; 2: Cor: c; 5: v; 15: g: Col: c: 1: v; 10: & c: 2: v; 2:

in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. (*h.*) Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput, Chriſtus. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut Filii lucis ambulate. fructus enim lucis eſt in omni bonitate & Juſtitia & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo. (*i.*) Induite ergo dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adverſùs aliquem habet querelam. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. (*k.*) Obſecro vos Fratres, per Miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſensûs veſtri: ut probetis, quæ ſit Voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. *Nonnè præcepi vobis bonorum operum exercitium*

toties

b: Eph: c: 4: v: 15: & c: 5: v: 8: i: Col: c: 3: v: 12: & c3
k: Rom: c: 12: v: 1.

toties inculcando, quòd ſine iis vita æterna poſſideri nequeat? Sic monui Timotheum: (*l.*) Sectare Juſtitiam, pietatem, Fidem, charitatem, patientiam, manſvetudinem: Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem, ut ſerves Mandatum! *Sic monui omnes.* (*m.*) Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. (*n.*) Salvabitur (*homo*) ſi per manſerit in Fide & dilectione & ſanctificatione. (*o.*) Igitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. *Sed quomodò quærendum? per ſolam Fidem? Non ſic ego doceo verſu 5.* Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. (*p.*) An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: neq; fornicari, neq; adulteri, neq; molles

l: 1: Tim: c: 6: v: 11: 13: 14: m: Hebræ: c: 12: v: 14: n: 1. Tim: c: 2; v: 15: o: Col: c: 3: v; 1: 5. p: 1: Cor: c: 6: v: 9: 10:

molles, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, Regnum Dei possidebunt. *O probrum!* (*q*) Qui cùm justitiamDei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus! (*r*.) Nihil autem damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. *Ut nihil sit damnationis, non satis est credere in Christum Jesum, sed & non secundùm carnem ambulare.* (*s*.) Deus enim elegit nos in Christo, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, in charitate. *Si hæc feceritis, omnia præterea revelata, juxta constantem per tot secula in Ecclesia Interpretationem, credentes, tunc verificabitur illud:* (*t*.) Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.

7. *Hæc autem Opera bona, quæ Justificationem cum gratia Jesu Christi subsequuntur, Catholico sensu esse merita, quis* *pruden-* De Meritis.

B

q. Rom: c 1: ṽ: 32 r. Rom: c: 8. ṽ. 1. s. Eph. c. 1: ṽ. 4: t. Rom: c: 10. ṽ. 9.

prudenter ambigat? cùm ex promiſſione Divina æternum præmium & mercedem ſoleant reportare (*u.*) Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Si cujus opus manſerit, quòd ſuperædificabit, mercedem accipiet. (*w.*) Qui ſeminat in Spiritu, de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. (z.) Quodcunq; facitis, ex animo operamini, ſicut Domino & non hominibus: ſcientes quòd â Domìno accipietis retributionem hereditatis: Domino Chriſto ſervite. (*a*) Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtrâſtis Sanctis & miniſtratis. (*b.*) Nolite itaq; amittere confidentiam veſtram quæ magnam habet Remunerationem. Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. *c.* Id

enim

u. 1. Cor; c. 3. v. 8. 14. w. Gal: c. 6. v. 8. 9 10. z. Col: c. 3. v. 23: 24. a. Hebræ: c: 6. v. 10. b. Hebræ c: 10. v: 35. c. 2. Cor: c. 4. v. 17.

enim quod in præſenti eſt, momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. (*d.*) Omnes vos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum. *Quis non advertit, ideo me tam urgenter, tam ſollicitè de Fide in Chriſtum Salvatorem perſæpe ſcripſiſſe, quoniam eo tempore homines ante omnia ad Fidem alliciendi erant, ut ſcirent cuncti Fidem in Chriſtum Jeſum, omnis Juſtitiæ, omnium operum ſalutarium Initium eſſe: ùtq; redarguerentur Judæi, per Circumciſionem ſuam juſtificari poſſe arbitrantes. Non verò ideo, quaſi per ſolam Fidem, juſtificandos ac Salvandos homines exiſtimâſſem.* (*e.*) Itaq; Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles *in his quæ modò dicta ſunt vobis*, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. (*f.*) Et quicunq; hanc Regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & Miſericordia.

 g.

d. 2. Cor: c. 5. v. 10. e. 1. Cor: c. 15. v. 58. f. Gal: c. 6 v. 16.

(*g*.)Eratis enim tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut Filii lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate & justitia & veritate: probantes quid-sit beneplacitum Deo. (*h*.)De cætero ergo rogamus vos & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis & abundetis magis. Scitis, quæ Præcepta dederim vobis per Dominum: hæc est enim voluntas Dei, Sanctificatio vestra. (*i*.)Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba-ta est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem. Confidimus autem de vobis, Dilectissimi, meliora & viciniora saluti. (*k*. Videte *præterea* malos Operarios: *cavete*:(*l*.)nolite seduci *ab illis*: corrumpunt enim bonos mores colloquia mala.

Quo-

g Eph: c: 5: v. 8: 9: 10: h 1. Thes. c: 4: v: 1: &c: i. Hebræ; c. 6: v; 7: 8: 9: k: Phil: c: 3: v: 2. l: 1: Cor: c: 15: v. 33:

Quomodo perſvaderi vobis poterat, Eccleſiæ Catholicæ ejuſq; Præpoſitorum Mandata non eſſe ſervanda? An neſcitis, (*m.*)quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum? Itaq; qui ſpernit hæc, non hominem ſpernit ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum Sanctum in nobis. (*n.*) Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis: ipſi enim vigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditu- ri. (*o.*)Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordi- nationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem requirunt. (*p.*)Confi- dimus autem de vobis in Domino, quo- niam quæ præcepimus, facietis. (*q.*) Si- qua ergo Conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas Spiri- tûs, ſiqua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, ean- dem charitatem habentes, unanimes, idipſum, *quod unà mecum Catholica do- cet Eccleſia*, ſentientes, nihil per con- tentionem neq; per inanem gloriam: ſed in humilitate: non quæ ſunt ſinguli

De Eccleſia Catholicæ Præceptis

Adhortatio ad diſſidentes ut ad unitatem Eccleſiæ redeant, ejuſq; moderatoribus obediant.

m. 1. *Theſ. c:* 4 *v.* 2 8. *n. Hebræ: c:* 13: *v:* 7: *o. Rom: c* 13: *v:* 2. 3: *p.* 2: *Theſ: c:* 3: *v:* 4. *q: Phil: c:* 2: *v:* 1. &c.

considerantes, sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Sed semetipsum exinanivit, formam Servi accipiens. Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. *Si autem Ecclesiæ præcepta observanda sunt, igitur & dum Jejunium aut abstinentia, sive interim ab omni cibo, sive delicatiori duntaxat, nimirum carnibus, statutis temporibus ideo præcipitur, ut corpus recalcitrans subjugetur Spiritui, & mortificationem Domini Iesu, ejusq; memoriam mente & corpore exprimamus.* (r.) Semper *carnis* mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. *Numquid ipse non monui?* (*s.*) Bonum est non manducare carnē. Et, (*t.*) Si esca scandalizat Fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne Fratrem meum scandalizem. *Quod autem majus scandalum, quàm tunc ventrem implere carnibus.*

De Jejunio.

r. 2: Cor: c: 4: v: 10: *s.* Rom: c. 14. v. 21: *t.* 1. Cor: c. 8: v: 13:

carnibûs, dum Ecclesia easdem, ad salutarem corporis mortificationem, ad tempus prohibet?

Cur exteriores, & tam piè ab Ecclesia Dei usurpari solitas corporis afflictationes, elata fronte respuitis? Ipse utiq;(u.) castigavi corpus meum, & in servitutem redegi. (w.) Ego Stigmata Domini Jesu in corpore meo portabam. (z.)Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego mundo. *Spiritum, dicitis, mortificandum esse. non corpus!* (*a*) Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si Spiritu vivimus, Spiritu ambulemus: (*b*.)Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram. *Scripsi quidem:* (*c*.) Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non judicet. Noli cibô tuô illum perdere, pro quo Christus mortuus est. *Sed omnis æqui rectiq; amans Lector, qui totum evolvit Caput,* B 4 *hæc*

De mortificationibus Corporis.

u 1 *Cor*, c: 9: v: 27: w. *Gal*, c: 6: v: 17: z. *Gal*: c: 6: v 14. a: *Gal*, c: 5: v. 24: b: *Col*: c: 3, v, 5. c: *Rom*: c: 14: v, 3, 15.

hæc de cibis olim Idolis dicatis scripta esse, non verò de abstinentia à carnibus, quam Ecclesia in finem adeo salutarem, ad tempus præcipere consvevit, advertet manifestè. Sicut & illo Textu: (*d*)Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbathorum: quæ sunt umbra futurorum: Corpus autem Christi: *Ethnicorum duntaxat ac Iudæorum discretiones in cibo & potu, atq; Solennia rejiciuntur; non autem talia quæ Rectores Ecclesiæ Christi, in salutem hominum statuerunt. Non frustra subjunxi:* Quæ sunt umbra futurorum: *Umbra itaq; evanescere: & lux, id est novus Ecclesiæ Ordo succedere debebat.* (*e.*)Qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum S. in nobis. (*f*.)Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcepimus, & facietis. Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei & patientia Christi.

De libertate Fidei & Conscientiæ.

Mirabilem fidei ac conscientiæ Libertatem, vi cujus liceat, sive crede-

re

d Col: e, 2, v: 16: e: 1. Thes: c: 4: v: 8: f. 2: Thes: c: 3: v: 4: 5:

re quod vobis videtur, sive Præcepta Ecclesiæ aut etiam Dei non observare, vestri studiosè promovent Præcones. Verùm hæc, detestanda potius servitus nuncupanda. Christiana Libertas in hoc consistit, tum quòd per Baptismum à Iugo Circumcisionis, aliisq; Legis Iudaicæ oneribus sitis liberati; tum quòd, suppositîs Christi Meritîs, gratiâ ejus, verâq; Fide, per Mandatorum observationem, æternam Diaboli servitutem evitare valeatis. (g.) Itaq; Fratres, non sumus Ancillæ Filii sed Liberæ, qua libertate nos Christus liberavit. *Sed quid Libertas hæc? Exposui eam primò Galatis*:(h.)state & nolite iterum jugô servitutis contineri, quoniam si circumcidamini, Christus nihil proderit vobis. *Exposui eam deinde Tito:* (i.) Ad omne opus bonum parati sitis: eramus enim aliquando insipientes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes. Apparuit autem Benignitas & Humanitas Salvatoris nostri Dei ut justificati gratiâ ipsius, curent bonis operibus præesse, qui credunt

g: Gal: c: 4: v, 31: h: Gal: c: 1; v: 1: 8: i: ad Titum c: 3, v, 1: & c:

dunt Deo. (*k.*)Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. (*l.*)Non anguſtiamini in vobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. (*m.*) In libertatem vocati eſtis, Fratres, tantùm ne Libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritûs ſervite invicem. Omnis enim Lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Si in Libertatem Filiorum Dei adoptari cupimus:* (*n.* Non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrii ſimus, induti loricam Fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.

De Communione Eucharistica.

Multas quoq; è nonnullis Sententiis meis, exulante conſcientiâ; Illationes eruitis. Exempli causâ: (*o.*)*Corinthiis Inſtitutionem Cænæ Dominicæ deſcribo, ita ſicut & Matthæus, Marcus ac Lucas. Quoniam verò haſce præmitto voces:* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: *hinc, neſcio quomodo, Præceptum Communicandi ſub duplici ſpecie, omnibus omnino hominibus à me datum, inferre contenditis*

k; 2: *Cor:* c: 3 *v* 17. *l:* 2: *Cor;* c: 6: *v:* 12: *m:* *Gal:* c: 5: *v:* 13, 14: *n:* 1: *Theſ:* c, 5, *v,* 6: 8: *o:* 1; *Cor,* c, 11, *v,* 23, *&c.*

ditis. Numquid non alii pariter Apostoli acceperunt à Domino, quod & tradiderunt vobis? Sed ubi hìc præceptum sumendi Calicem, datur omnibus? Versu utiq; 27. perspicuè subjunxi: Quicunq; manducaverit, vel biberit Calicem indignè &c: *ut ex hac ipsa particula, vel, non dari præceptum ejusmodi reluceret. Cur non legitis quæ sequuntur v 34.?* Cætera autem cùm venero, disponam: *Ut lumen inde, per ordinem ad Traditiones nostras Apostolicas, circa Communionem, Sacrificium Missæ, variasq; Ecclesiæ cerimonias, acceptandas, hauriatis. Sed & satis hìc demirari nequeo,, quòd illi! de duplici specie adeo sint solliciti, qui se verîs Episcopîs, ac consequenter ritè ordinatîs Presbyterîs (à quibus hujus Sacramenti valor, pendet indispensabiliter) destitui permiserunt. Verùm hæc postea attingenda.*

Similis valoris sequela est, dum ex Textu illo: (p.) Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus JEsus, *evincere conamini, Petrùm ne quidem se-* De Petro & Capite Ecclesiæ

cunda-

p: 1, Cor: c, 3, v, 11, q. Eph: c, 2, v, 20.

cundarium Eccleſiæ fundamentum, ſeu Chriſti Vicarium fuiſſe. Utiq; alibi, (*q.*) *etiam Apoſtolos fundamentum, Chriſtum verò ſummum angularem Lapidem appello. Quòd autem Chriſtus JEſus Vicarium ſuum & Eccleſiæ Caput in terris reliquerit, haud obſcurè, in illa myſtici Corporis ſeu Eccleſiæ deſcriptione innueram, inquiens:* (*r.*) Non poteſt dicere Caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii. *Verùm de talibus non erat opus, multum diſſerere: abunde enim ab Evangeliſtis declarata fuerant.* (*ſ.*) Ego *quidem*, cùm veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe timens eos qui ex circumciſione erant. *Verbô, Petrus ſimulatione ſua, conformando ſe ad tempus, Judæorum conſvetudinibus, ne eos ab amplectenda Fide averteret, viſus eſt alios ſcandalizaſſe, (quod ipſum & ego aliquoties feceram: &c:* (*t.*) Factus ſum Judæis tanquam Judæus: iis, qui ſub

Lege

r, 1, Cor: c, 12, v, 21, ſ, Gal, c, 2, v, 11, &c, t, 1, Cor, c, 9, v, 21.

Lege sunt *judaica*, quasi sub Lege essem, cùm ipse non essem sub Lege. *Et Act: c. 16. v. 3. ubi circumcidi Timotheum propter Judæos qui erant in illis locis*) *Et ideo palam ipsi restiti. Ex quo tamen nullatenus sequitur, Petrum in Fide errasse, sicut nec sequitur me errâsse. Nec inde prudenter colligi potest, Petrum me superiorem non fuisse, cùm etiam inferior, præsertim ubi de Scandalo avertendo agitur, monere possit Superiorem. Patres antiquos, qui Scripta nostra explanant, evolvite, e. c. Augustinum (quem aliàs, quoties de Petro sermo est, perlibenter legitis) hic vos saniorem Epistolarum nostrarum sensum edocebit, v. g. Epist: 19. ad Hieronymum sic scribens. Rarius & Sanctius Exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent minores Majoribus, pro defendenda Veritate, salva charitate, resistere.* (*u.*) Rogamus ergo vos Fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis: (*w.*) Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.

Mini-

u. 1, *Thes*, *c*, 4, *v*, 10, *w*, *Hebra*, *c*, 13, *v*, 7.

Non omnes Christiani sunt Presbyteri.

Ministrorum enim vestrorum inobedientia totum Ecclesiæ Ordinem funditus apud vos perturbavit: eò defecistis, ut cùm omnes etiam Fœminæ velint esse Presbyteri, & in Potestate Spirituali æquales, nullos veros habeatis Presbyteros. (z.) *An non* Divisiones suntMinistrationum,idem autē Deus? Si totūCorpus oculus,ubi auditus?Si totū auditus,ubi odoratus? Quodsi essent omnia unum membrū, ubi Caput? nunc autem multa quidē mēbra,unū Corpus.Non potest oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo: aut iterum Caput pedibus, non estis mihi necessarii. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, Gubernationes, Interpretationes Sermonum &c: Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Doctores? *Si æmulari vultis*, æmulamini charismata meliora. *Ex quibus facilè colligere poteratis, quonam sensu ad Galatas scripserim:* (a.) Quicunq; in Christo JEsu baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus

z, 1, Cor, c, 12, 6, 5, 17, 19, 20, 21, 27, 29, &c, a, Gal, c, 3, b, 27, 28.

us neq; Græcus: non eſt Servus neq; liber, non eſt maſculus neq; fæmina: omnes enim vos unum eſtis in Chriſto JEſu. *Unum videlicet unitate gratiæ, non unitate Poteſtatis aut Miniſterii: cùm illis me oppoſuerim, qui ex Circumciſione erant, & arbitrantes ſe per eam juſtificatos eſſe, alios poſtponebat:*

(*b.*) Nolumus *etiam* vos ignorare Fratres de dormientibus ſicut cæteri qui ſpem non habent. (*c.*) Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc (quod eſt Chriſtus) fænum, ſtipulam (*id eſt, leves committit defectus*) Salvus *quidem* erit, ſic tamen quaſi per ignem. *En Purgatorium! O ſi antiquorum Patrum expoſitioni, & Conciliorum definitionibus adſtipulari non recurſaretis, adverteretis profectò idipſum hìc manifeſtè. Sicut advertit Auguſtinus lib: 20 Homil: 16. dicens: Qui temporalibus pœnis digna geſſerant, per ignem quendam purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus ait;* Salvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Non fruſtra, Præceptum Apoſtolicum orandi pro defunctis,* *De Purgatorio, & Orationibus pro Defunctis.*

addu-

b, 1, Theſ, c, 4, v, 12, c, 1, Cor, c, 3, v, 12, 15.

adducit Chrysostomus Homil: 69. ad populum dicens: Statuerunt Apostoli, ut in Missæ Sacrificio oretur pro defunctis: cùm & ego ipse afflictationes corporis pro animabus defunctorum fieri solitas agnoverim: (*d.*)Si mortui non resurgunt? utquid baptizantur pro illis? *id est mortificantur, afflictantur; sicut ex immediatè sequentibus*, utquid & nos periclitamur omni hora? *clarè colligitur.*

De cultu & Invocatione Sanctorum.

Cùm adhuc in hac mortali vita, medios inter homines versarer, toties pro aliis oravi, nec dubitabam, impetraturum me à Deo etiam bona Spiritualia, quæ poscebam: quin imo, cæterorum orationes Mortalium implorare consvevi, exempli causâ Romanorum: (*e.*)Obsecro vos Fratres per Dominum nostrum JEsum Christum & per charitatem S. Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab Infidelibus, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem Sanctis. (*f.*) Speramus in Deum, quoniam de tantis periculis nos eripiet, adjuvantibûs & vobîs, in oratio-

d, 1, Cor. c, 15, v, 29, e, Rom, c, 15, v, 30, &c. f, 2. Cor, c, 1, v, 11,

oratione pro nobis. (*g*) Fratres orate pro nobis. (*h*.) Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut det vobis virtute roborari. (*i*.) Gratias ago Deo meo ſemper, memoriam tui faciens in orationibus meis. Propter quod multam fiduciam habeo in Chriſto JEſu, impetrandi tibi, quoad rem pertinet. *Si itaq; ego Paulus in terris, ſi alii homines adhuc peccatores, orare pro ſuis & impetrare valebant, idq; ſine injuria mediationis Chriſti, quomodo non poterit Paulus in Cælis, aliiq; Sancti cum Deo regnantes? Nec de hoc multa erant ſcribenda, cùm Lumen ipſum rectæ rationis cuivis indicet, id rectum & laudabile eſſe. Verum quidem eſt, quòd.* (*k*.) non judicaverim me ſcire aliquid inter vos, niſi JEſum Chriſtum & hunc crucifixum: *ſed tanquam Redemptorem meum: per quod non excluſi notitiam Amicorum ejus, Sanctorum videlicet: ſicut nec notitiam ac memoriam eorum hominum, quorum orationes expetebam. Verum eſt, quod* (*l*.) Unus ſit Deus, unus Mediator

C Dei

g 1 *Theſ*: c. 5 v. 25 *h*. *Eph*: c. 3 v 14 *i*. *ad Philemonem* v 4: & *k*. 1 *Cor*: c. 2. v: 2. *l*: 1: *Tim*: c: 2. v. 5.

Dei & hominum, homo Chriſtus JEſus: *at talis*, qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro nobis. *Per quod tamen Sancti in Cœlo non deſinunt eſſe Interceſſores apud eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ſicut non deſinunt eſſe tales, homines mortales. Sed ignorant nos, Sancti, reponitis. Deum bonum! Mihi Paulo adhuc mortali tanta Revelationum multitudo facta eſt, & Paulo jam inter Cælites exiſtenti, id non conceditur?* (*m*.)Propter quod ſurge qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. (*n*) Malitiâ *quidem* parvuli, ſenſibûs autem perfecti eſtote.

De Traditionibus. *Nec Traditionum Apoſtolicarum obliviſcamini. Certum enim eſt, nos Apoſtolos plurima, tum Fidem, tum cerimonias & Eccleſiæ ordinem, tum deniq; ipſum Scripturæ Senſum concernentia, ore docuiſſe, quæ Epiſtolîs, aliîſq; Scriptîs noſtrîs, diſtinctè non ſunt expreſſa. Ut patet tum ex paucitate Scriptorum Apoſtolicorum, tum ex diſertis verbis noſtris, exempli causâ:* (*o*.)Cætera autem cùm venero diſpo-

m. Eph: c. 5. §. 14. n. 1. Cor: c: 14. §. 20. o. 1. Cor: c. 11. §. 34.

ſponam. *Hinc & Titum monueram.* (p.) Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, ſicut & ego diſpoſui tibi &c: &c: *Hæc autem omnia tenenda eſſe, nequit dubitare Chriſtianus: cùm æquè fuerit Dei Verbum, quod prædicavimus ore, ac illud, quod ſcripſimus calamô: & Spiritus S. non minùs ſit Fide dignus, dum locutus eſt per os noſtrum & Sermonem, quàm dum per Manum & Scripturam noſtram. Præſertim, quoniam id ipſum ſtrictè præcepimus:* (q.) Fratres tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram. *Jam quæro, unde hujus Diuini, & ore à nobis prædicati Verbi, hujus non ſcriptæ Chriſti & Apoſtolorum Doctrinæ, (quam tenere & profiteri, juxta dicta, obligamini) notitiam habere poteritis, ſi non ex antiqua Eccleſiæ Catholicæ Traditione, ac SS. Patrum Teſtimonio?* (r.) Denunciamus itaq; vobis Fratres, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm Traditio-

p. ad Titum c. 1. v. 5. q. 2. Theſ: c. 2. v. 14. r. 2. Theſ: c. 3. v. 6 &c:

ditionem, quam acceperunt à nobis. Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos. Nolite deficere benefacientes. Quodsi quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate; & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. *Scriptum tamen est*, (*dicitis*) (*f.*)Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm Traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. *Ast quis non videt, hæc de Traditione Judaica, præsertim Circumcisione dicta fuisse? Et facilè ex sequenti versu* 11. Inquo & circumcisi estis &c: *colligitur. Si tamen per applicationem loqui voluerimus, revera, vestræ id potius Confessioni Augustanæ, vestro Corpori Doctrinæ, vestris libris Symbolicis, vestris, contra communem Ecclesiæ Catholicæ Sensum, nuper inventis Scripturarum Interpretationibus, sicut & Lutheri ac Calvini eloquiis conveniet. Nonnè hæc potiùs secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum?* (*t.*)Itaq; Fratres, tenete Traditio-

ditio-

f. Col: c. 2. v. 8. 9. t. 2. Thes: c. 2. v. 14. 15. 16:

ditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem ſive per Epiſtolam noſtram. Ipſe autem Dominus noſter JEſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere bono, & Sermone bono.

De Benedictionibus.

Benedictiones Eccleſiaſticas, Superſtitiones eſſe arbitramini, eò quòd creaturæ ſint per ſe bonæ. Non ſic! (u.) Omnis *quidem* creatura bona eſt, & nihil reijciendum, *ſed quare?* ſanctificatur enim per Verbum Dei & orationem, *Quod ipſum in re eſt Benedictio.*

De ligno S: Crucis ipſaq́ Cruce.

Signum Crucis, quod Catholici formare conſveverunt, ſicut & Crucem ipſam, ſacraſq́; Imagines exploditis! En olim, (w.) Prædicavimus Chriſtum Crucifixum, Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam; *nunc autem quibuſdam ludibrium!* (z) Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti. (*a.*) *Dico ergo vobis:* Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis tamen qui ſalvi fiunt, Dei virtus.

Qua

u. 1. Tim: c. 4 v. 4. 5. w. 1. Cor: c: 1: v: 23: z. Gal: c: 6: v: 14: a: 1. Cor: c, 1: v: 18.

De Excommunicatione Ecclesiastica.

Qua de causa, quæso, Excommunicationem adeo reprobatis Ecclesiasticam? numquid eandem non præcepi toties? (b.) Tollatur de medio vestri, qui hoc &c: fecit: nescitis, quia modicum fermenti totam massam corrumpit? auferte malum ex vobis ipsis. (c.) Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita. (d.) Denunciamus vobis in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundùm Traditionem, quam acceperunt à nobis. Quodsi quis non obedit Verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. *Imo plus ipse egi:* (e.) Judicavi in nomine Domini nostri JEsu Christi, congregatîs vobîs & meo Spiritu, cum virtute Domini nostri JEsu, tradere ejusmodi, Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri JEsu Christi.

Oratio prolixior, nocturna &c.

Prolixiores Catholicorum Preces, aut nocturnas, aut quæ flexîs genibûs, & mani-

b. 1: Cor: c: 5: v. 2; 6: 13: c: ad Titum c: 3: v: 10: d: 2. Thes: c: 3. v: 6: 14: e: 1: Cor: c, 5, v, 3, 4, 5.

manibûs elevatis fieri ſolent, ridetis, contemnitis, velut rem inutilem, non neceſſariam, aut hypocriſim traducitis. Erratis, non ſic vivere debent Chriſtiani. (*f.*) Sine intermiſſione orate: hæc enim eſt voluntas Dei in Chriſto JEſu. (*g.*) Volo Viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione: ſimiliter & mulieres. (*h.*) Nocte & die abundantiùs orate. (*i.*) Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione. (*k.*) Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri JEſu Chriſti, ut det vobis virtute corroborari.

(*l.*) De cætero Fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli: ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate (*Eccleſiæ Catholicæ, quam nunc propoſui vobis*) & induti loricam Juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: *Concluſio:*

f, 1: Theſ: c, 5 v: 17. g: 1: Tim: c, 2, v, 8: h: 1: Theſ: c, 3, v: 10. i: Col: c: 4: v, 2, k: Eph: c, 3, v, 14, l: Eph: c, 6, v: 10: &c:

in omnibus ſumentes Scutum *veræ* Fidei, & galeam ſalutis, & gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei (*ſed ritè, non perversè intellectum*) per omnem orationem & obſecrationem, orantes omni tempore in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia. (*m.*) Quæ *modò* didiciſtis & accepiſtis, & audîſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum. (*n.*) Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. (*o.*) Etſi contriſtavi vos, non me pœnitet: & ſi pœniteret quòd ad horam vos contriſtavi, nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. (*p.*) De cætero gaudete in Domino: videte malos operarios. (*q.*) Viriliter agite, & confortamini. (*r.*) In nullo terreamini ab Adverſariis *veritatis Catholicæ*: quæ illis eſt cauſa perditionis vobis autem Salutis, & hoc à Deo. (*ſ.*) Rogo etiam vos, ut obſervetis eos, qui diſſen-

m. Phi: c 4. v. 9. n: 1 Cor: c. 4. v. 16: o: 2. Cor: c: 7, v. 8. &c:
p. Phi: c 3. v. 1 2. q: 1 Cor: c. 16. v. 13. r. Phi: c: 1. v: 28.
ſ. Rom: c: 16: v: 17. &c:

diſſenſiones & offendicula, præter Doctrinam quam *hodie* didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Hujuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces Sermones & Benedictiones ſeducunt corda innocentium. (*t.*) Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus: & ego recipiam vos *in Gremium veræ Eccleſiæ*: & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. (*u.*) Dignè ambulate vocatione *hac*, cum omni humilitate & manſvetudine, ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs, in vinculo pacis. (*w.*) Gratia Domini noſtri JEſu Chriſti vobiſcum: Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto JEſu. Amen.

CON-

t. 2. Cor: c: 6. v: 17: &c: u. Eph: c: 4. v. 1: &c: w. 1: Cor, c, 16, v, 23.

CONCIO SECUNDA.

Ad Neo: Evangelicorum Præcones.

Exordium.

QUi *Mundum in maligno positum considerat, facilè animadvertit*, (*a.*) Quod multi dentur inobedientes, vaniloqui, & Seductores, quos oportet redargui, qui universas Domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ, Dixit quidam de illis proprius ipsorum Propheta, semper mendaces. Et testimonium hoc verum est. Confitentur *enim* se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. (*b.*) Propter invidiam & contentionem Christum prædicant: & ex contentione Christum annuntiant non sincerè. (*c.*) Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ JEsu Christi. (*d.*) Sepulchrum patens est guttur eorum, linguîs suis dolosè agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum

a ad Titum c. 1. v, 10, &c, b Phil: c 1 v 15, 17, c Phil, c, 2, v, 21 d, Rom. c, 3, v, 13, 15, &c,

rum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Viam pacis non cognoverunt. De *quibus olim prædixeram:* (*e.*) Quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, ingrati, ſine affectione, ſine pace, Criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt Mulierculas (*vel ex ipſis clauſtris*) oneratas peccatîs, quæ ducuntur variîs deſiderîis. Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, Quemadmodum autem Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt Veritati, homines corrupti mente & reprobi circa Fidem. Sed ultra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſtabitur omnibus, ſicut & illorum

mani-

e: 2, Tim, c 3: v. 1, &c,

manifestata fuit. *Moneo itaq; omnes quorum interest:* (f) Et testificor in Domino, ut non ambuletis sicut & Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati, à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum; Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audîstis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in JEsu: deponere vos secundùm pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisq; cum proximo suo. Nolite locum dare diabolo. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad ædificationem Fidei, ut det gratiam audientibus. Nolite contristare Spiritum S. Dei: in quo signati estis in diem Redemptio-

nis

f. Eph: c. 4. v. 17. &c.

nis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. (*g.*) An divitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnitis? Ignoratis quoniam Benignitas Dei ad pœnitentiam *vos* adducit? ſecundùm autem duritiam & impenitens cor, theſaurizatis vobis iram in die Iræ & Revelationis juſti Judicii Dei: qui reddet unicuiq; ſecundùm opera ejus.

Epiſtolas meas, ſicut & reliquam Scripturam, recedentes à veteri Eccleſiæ ſenſu, depravantes in confirmationem erroris, pro libito interpretamini! (*h.*) Cùm convenitis, unuſquiſq; veſtrum, Doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, Interpretationem habet. Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut in omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo. An à vobis Verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit? (*i*) Non ambulate in aſtutia, adulterantes Verbum Dei. *Nolite fieri ſimiles illis*, (k.) Qui *ideo* reſiſtunt veritati, ne quando

Deus

g. *Rom*: c. 2. v. 4. &c. h. 1, *Cor*: c. 14. v: 26. 33, 36, i, 2, *Cor*, c, 4, v; 2, k, 2, *Tim*, c, 2, v, 26,

Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur. (*l.*) volo autem vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

Propoſitio. *Et ideo declarabo hodie, Doctrinam Fidei & Morum, quæ hactenus viget in Romana Catholica Eccleſia, & cui veſtra è diametro opponitur, Epiſtolis meis conformem eſſe.* (*m.*) Exhortatio autem noſtra non erit in dolo, ſed ſicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium ita loquemur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra. Neq; enim aliquando fuimus in Sermone adulationis, neq; in occaſione avaritiæ. Deus Teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam. *Rogo itaq; vos ne verificetur illud iterum in vobis:* (*n.*) Ego inimicus factus ſum vobis, verum dicens vobis.

De Cælibatu Perſonarum Eccleſiaſticarum. *Doctrinam Pauli vos per omnia ſequi, gloriamini coram populo: cur igitur non abſtinetis ab uxoribus, ſicut & ego abſtinui?* (*o.*) Imitatores mei eſtote, ſicut

&

l. Rom: c. 16. v: 19 *m.* 1. Theſ: c: 2 v. 3 &c: *n.* Gal. c. 4. v. 16, *o.* 1. Cor: c. 11. v. 1.

& ego Christi. *Quid clarius illis verbis:* (*p.*) Bonum est homini Mulierem non tangere: Dico non nuptis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Bonum est homini sic esse. Volo autem vos sine sollicitudine esse: qui sine Uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt quomodo placeat Deo. Qui autem cum Uxore est, sollicitus est quæ sunt Mundi, quomodo placeat Uxori, & divisus est. Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrandi. Beatior erit si sic permanserit secundùm meum Consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam. *Multis quidem hæc Doctrina non placet:* (*q.*) Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei: stultitia est illi, & non potest intelligere. *Sed quidquid sit:* (*r.*) Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam. *Qua fronte depravatis Scripturam meam, quæ in Græco ita sonat:* (*s.*) Nunquid non habemus

p. 1. Cor; c. 7. v. 1. 8. 26. 32, 35, 40. q 1: Cor: c, 2, v, 14. r. 1. Cor: c. 7, v. 4: s. 1. Cor: c, 9, v, 4, 5.

bemus potestatem manducandi & bibendi? Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli & Cephas? *falsificantes Textum Græcum sic*: Numquid non habemus potestatem, Sororem uxorem circumducendi? *O qvàm inconveniens quàm perversa hæc Interpretatio! Egone docui, Sororem in Uxorem duci posse? Deinde: an non legistis in Evangelio, Petrum, cæterosq; Apostolos, uxorem & omnia reliquisse? Nonnè toties eâdem Epistolâ meâ inculcatur*: beatiùs esse, meliùs esse non nubere? *Et:* (*t*.) Volo vos sine sollicitudine esse: qui sine Uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt; quomodo placeat Deo. *Quis autem dubitabit, Apostolos id quod perfectius, melius, & Servitio Divino congruentius est, elegisse? Nonnè ex toto capite 9. manifestè colligitur, me de Sorore Muliere ejusmodi, quales ad servitium Ecclesiæ & Virorum Ecclesiasticorum adhiberi solebant, & de qualibus*, (*u*.) Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, *locutum fuisse? ac proindeeodem capite*

t. 1. Cor: c. 7, v. 32. u. 1. Tim: c. 5: v. 9.

pite nono v. 14. adjeceram: Ego autem nullô horum uſus ſum. (*w.*) Arbitramini tanquam ſecundùm carnem ambulemus? in carne ambulantes non ſecundùm carnem ambulemus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt. (*z.*) Hoc autem dico, quia caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt. *Nimis difficile, dicitis, ſervare caſtitatem: Non, non, modò ſervaveritis illam eâdem Epiſtolâ præſcriptam Regulam*: (*a.*) Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo: ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. *Quâ verecundiâ verba hæc:* (*b.*) Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius Uxoris Virum, *pervertitis dicentes, præceptum hìc nubendi Viris datum eſſe Eccleſiaſticis? Utiq; ipſe ego Epiſcopus uxorem non habui:* (*c.*) non nuptis bonum eſt, ſi ſic permaneant ſicut & ego. *Toties utiq; eâdem Epiſtolâ Conſilium dederam non nubendi:* bonum eſt homini ſic eſſe: meliùs eſt: beatiùs eſt: ſolutus es ab uxore, noli-

w. 2. *Cor: c.* 10: *v.* 2: *&c: z.* 1. *Cor: c.* 15. *v.* 50 *a.* 1. *Cor: c.* 9. *v.* 27. *b.* 1. *Tim: c:* 3: *v:* 2. *c.* 1. *Cor: c:* 7. *v:* 8.

quærere Uxorem: qui cum Uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, & diviſus eſt &c: *Quomodo igitur Epiſtolâ ad Timotheum, ut Epiſcopus Uxorem actu habeat, præcipere poteram?* *Dixi:* oportet Epiſcopum unius Uxoris Virum eſſe: *Quid? an licet aliis plures ſimul habere Uxores? Si hìc præcipitur Uxor, ergo & eâdem Epiſtolâ,* (*d.*) Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, unius Viri Uxor, *vetulæ 60. annorum præcipitur, ut omnino habeat Maritum. En ineptias! ſed & quomodo diceretur vidua, ſi actu nupta eſſet?* (*e.*) Quis vos faſcinavit non obedire veritati? *Nonne verum?* (*f.*) Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei, ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere. *Quis non videt perſpicuè, quòd ſicut primâ ad Timotheum, capite 5. v. 9. per Viduam* unius Viri Uxorem, *non intelligitur illa quæ actu ſit nupta, ſed ſolùm quæ fuerat; ita pariter capite 3. v. 2.* per unius Uxoris Virum, *non intelligitur ille qui actu habet Uxorem, ſed ſolùm qui habuerat unam duntaxat, ſeu*

non

d. 1: Tim c: 5: v: 9: e. Gal: c, 3, v, 1. f. 1: Cor: c: 2: v. 14.

non est Bigamus. Ut quid jactatis Augustinum, si expositionem ejus respuitis? Sic enim lib: de bono Conjug. c. 18. loquitur: Qui excessit Uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisit, sed normam quandam Sacramenti amisit, ad Ordinationis Ecclesiasticæ Signaculum necessariam.

Consilia Exangelica, præsertim de voluntaria, Deoq; jurejurandô dicata Castimonia, quasi minimè in Scripturis fundata essent, pervicaciter rejicitis: nihilq; acerbiùs quàm Cœlibatum, Statumq; Virginalem ac Religiosum persequimini! clariùsnè scribere poteram, quàm, (g) De Virginibus Præceptum Domini non habeo, Consilium autem do, tanquam Misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Qui non jungit Matrimoniô Virginem suam, melius facit. Beatior autem erit si sic permanserit secundùm Consilium meum: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. *Dicitis quidem, hæc de utilitate & bonitate temporali, quâ potiuntur qui non nubunt,*

De Consiliis Evangelicis, Castitate, ejusq; Voto.

D2 *scri-*

g. 1: Cor: c: 7, 8, 25, 32, 38, 40.

ſcripta eſſe: ſed erratis: cùm de majori bono Spirituali loquar manifeſtè, ut patet ex iis: Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. Et: v. 52. Volo vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine Uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum Uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt Mundi, quomodo placeat Uxori, & diviſus eſt. Et v. 35. Porro hæc ad utilitatem veſtram dico, ad id quod honeſtum eſt, & facultatem præbet ſine impedimento Dominum obſecrandi. *Hæc utiq; utilitas eſt Spiritualis? Sententiam præterea meam obtruditis*: (*b.*) Propter fornicationem autem unuſquiſq; Uxorem ſuam habeat, & unaquæq; ſuum Virum habeat; *quaſi hìc Præceptum nubendi dediſſem omnibus. O obcæcatio! Nonnè eôdem capite v. 6. ſubjunxi,* Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm Imperium? *adjeci quoq; expreſsè*: propter Fornicationem: *id eſt: ſi te ineptum ad ſervandam caſtitatem judicas, nube, & non fornicare, nec Statum talem, ubi vovendo*

&

b. 1. Cor. c. 7. v. 2.

& servanda castitas, amplectere. Sed replicatis adhuc, scriptum est: (*i.*) Melius est nubere quàm uri. *Quis dubitat? si uraris voluntariè & deliberatè, & cum incontinentia, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus*: Quodsi non se continent, nubant, melius enim est nubere quàm uri. *Et ex versu 36.* si quis verò turpem se videri existimat super Virgine sua, quòd sit Superadulta, & ita oportet fieri, nō peccat si nubat. *Stimulus tamē carnis involūtarius, & ustio sine consensu non nocet Animæ, quinimo* Virtutem perficit. *Ego utiq; ipse stimulos ejusmodi olim senseram, non tamen nupsi propterea:* (*k.* Ne magnitudo Revelationum extolleret me, datus mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizaret. Propter quod Dominum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam Virtus in infirmitate perficitur. *Proinde dico vobis:* (*l.*) Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversùs Spiritum: Spiritus autem adver-

 sus

i. 1: Cor: c, 7: v: 9. *k.* 2: Cor: c: 12: v, 7: & c: *l.* Gal: c: 5, v: 16: 17.

sùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non, quæcunq; vultis, illa faciatis.

De Violatione Voti caſtitatis,

Quod autem graviſſimum eſt, juratam Deo Fidem frangere, poſt emiſſum caſtitatis Votum, Uxorem ducere, exultantes approbare conſveviſtis! Perlibenter ejuſmodi recipitis, de quibus ego: (m.) Adoleſcentiores viduas devita: (*idem conſendum de Viris*) cùm enim luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam Fidem (*violatô Caſtitatis Votô*) irritam fecerunt. *Quales & veſtri Majores olim Religioſis è Clauſtris abduxerant:* (n.) Sunt qui penetrant Domos, captivas ducunt Mulierculas oneratas peccatîs, quæ ducuntur variîs deſiderîs, (e.) Sic transferimini ab eo, qui vos vocavit in Gratiam Chriſti, in aliud Evangelium! (p.) Videte itaq; quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut Sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt: intelligentes quæ ſit voluntas Dei. (q.) Hæc autem eſt Voluntas Dei,

ſancti-

m. 1. Tim, c. 5 v. 11 &c; n. 2 Tim: c: 3: v: 6: o. Gal: 1, v: 6 p. Eph: c: 5, v, 15, &c: q: 1. Theſ: c, 4, v, 3, 4. &c:

sanctificatio vestra: ut sciat unusquisq; vestrum, vas suum possidere in Sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut Gentes quæ ignorant Deum. Non enim vocavit vos Deus in immunditiam, sed in Sanctificationem.

Quamvis verò nubere ardentissimè cupiatis, Matrimonium tamen esse Sacramentum, agnoscere renuitis. Numquid non scriptum: (r.) Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia? *Sed, Mysterium, *habetur in Græco, reponitis. Bene est, Matrimonium Christianorum est Mysterium, non qualecunq; sed in Christo & Ecclesia, id est, denotat unionem Christi cum Ecclesia, quæ est gratia ejus: igitur verum novæ Legis Sacramentum.* De Matrimonio.

Maximè tamen (f.) confundor in vobis: *dum opinionem omnium falsarum falsissimam, illud principale Lutheri inventum, ad profligandam omnem obedientiam & Pietatem aptissimum, quod cunctîs ferme scriptîs ac dictîs vestris, promovere* Sola Fides non sufficit ad Salutem, sed & bona Opera requiruntur.

r. Eph: c, 5, v, 32: f. Gal: c, 4, v, 10.

movere, hominibusq; sub splendida de Christo Jesu loquendi forma, persvadere contenditis, videlicet, homines per solam Fidem justificari atq; salvari posse, Epistolis meis confirmare non veremini. Ne unica quidem reperibilis est Epistola, quâ bonorum Operum necessitatem ad Salutem, sub interminatione æternæ damnationis, ni fecerint, multoties hominibus non inculcâssem: quod ipsum & vobis facio. (*t.*) Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus Arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum nostrum Jesum Christum: & carnis curam ne feceritis in desideriis. (*u.*) Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in Scientia & in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri sine offensa in diem Christi, repleti fructu Justitiæ, per Jesum Christum in gloriam & laudem Dei. (*w.*) Charitas au-

etm

t. Rom: c, 13. v, 12, 13, 14. u. Phi: c: 1. v, 9, &c: w. 1. Cor: c: 13: v, 4. &c:

tem patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati (z.) Si Spiritu vivimus, Spiritu ambulemus. Fructus autem Spiritûs eſt charitas, gaudium, pax patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſvetudo, Fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Qui ſunt in Chriſto carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. (*a.*) Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt Simulacrorum ſervitus: propter quæ venit ira Dei ſuper Filios incredulitatis. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis. (*b.*) Volo vos orare in omni loco, promittentes pietatem per opera bo-

ra bo-

z. Gal: c. 5 v, 21, 22, 23, &c: a. Col: c, 3: v. 5: &c: b. 1. Tim: c, 2, v, 8.

ra bona. *Vultis, qualesnam Ecclesiæ Ministri esse debeant? audite*: (*c.*) In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros: in multa patientia in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in Scientia, in longanimitate, in Svavitate, in Spiritu S. in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris. *Non verò per solam Fidem.*

Non præcise gratitudinis ergo bene operandum

Respondetis, opera quidem bona ex gratitudine quadam, quòd per Fidem justificati simus ponenda esse: si quis tamen id non faceret modo fortiter credat, salvari debebit, cùm sola Fides sufficiat ad Salutem: nec ullum peccatum damnare possit, nisi infidelitas. Deum bonum! quid loquimini? Ergonè, dum aliquid nomine Dei præcipio, id solùm gratitudinis ergo, & non ex obligatione rigorosa, sub amissione, ni feceris, æternæ Salutis, faciendum esse arbitramini? (*d.*) Scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hereditatem in Regno Christi & Dei. (*e.*) Caro & Sanguis Regnum Dei possidere

c. 2. *Cor: c.* 6, *v.* 4, *&c: d. Eph: c,* 5 *v,* 5: *&c: e.* 1. *Cor: c.* 15. *v,* 50.

dere non possunt. (*f.*) Manifesta autem sunt opera carnis: fornicatio, immunditia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, Sectæ, invidiæ, ebrietates & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. *Nonne sat rigorosè, bonorum operum exercitium præcipio? En!* (*g.*) Qui cùm justitiam cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte! (*h.*) Si habuero omnem Fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Necessaria quidem sunt opera bona ad salutem, (reponunt alii) Fides tamen sola justificat. Quomodo, quæso, sunt necessaria, si Fides ipsa justificat? Sed quomodo sola justificat? (*i.*) Etsi habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Nunc manent Fides Spes & Charitas, major autem horum est Charitas (*k.*) Valet Fides, *sed* quæ per charitatem operatur *non sola. Nonnè monui* **Fides sola non justificat.**

Timo-

f. Gal: c. 5. v. 19: &c: *g.* Rom: c. 1. v. 32. *h.* 1. Cor: c. 13 v. 2. *i.* 1 Cor. c. 13. v. 2 *k:* Gal: c. 5: v. 6.

Timotheum: (*l.*) Hoc præceptum commendo tibi Fili Timothee, ut milites in iis bonam militiam, habens Fidem, & bonam Conſcientiam, quam quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt. *En, qui præter Fidem non admittunt bonam Conſcientiam, emundatam per veram Pœnitentiam, non ſolùm non juſtificantur, ſed etiam circa Fidem errant. Et iterum*: (*m.*) Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in Fide & in Dilectione, in Chriſto JEſu. *En ſola Doctrina non in ſola Fide ſed & dilectione. Et denuo*: (*n.*) In magna Domo (*id eſt Eccleſia ſeu Cœtu credentium*) vaſa ſunt quædam in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo ſe emundaverit ab iſtis (*proculdubio per Pœnitentiam*) erit Vas in honorem Sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum. *In memoriam vobis revoco, quæ olim ad Timotheum ſcripſeram*: (*o.*) Rogavi te, ut denunciares quibuſdam, ne aliter docerent, finis præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & Fide

l. 1. *Tim*: *c*, 1 *v*, 18. *m.* 2. *Tim*: *c*, 1, *v*, 13, *n*, 2. *Tim*: *c*: 2: *v*, 20. 21. *o.* 1. *Tim*: *c*, 1: *v*, 35, *&c*:

de non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium: volentes esse Legis Doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur neq; de quibus affirmant. (*p.*) Oportet *autem* Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm Doctrinam est, Fidelem Sermonem: ut potens sit exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Præcepta Dei non sunt servatu impossibilia.

Quidàm sibi persvadent, Dei præcepta, aut (ut alii) saltem aliqua servari non posse. O blasphemiam! Numquid Deus, justus Judex, sub comminatione æternæ damnationis, præciperet impossibilia? Numquid ego hortatus fuissem toties ad ea quæ impleri nequeunt? (*q.*) Omnia possum in eo qui me confortat. *Sed perfectè non possumus, reponunt nonnulli. Possumus, cum gratia Dei, ita perfectè sicut oportet ad salutem, & quantùm Deus à nobis requirit, modo gratiæ ejus non reluctemur.* (*r.*) Sequimini Sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei. (*f.*)

Præci-

p. ad Titum c, 1 v, 9. q. Phil: c, 4, v. 13. r, Hebræ: c: 12: v, 14: f: 1; Timi; c: 6: v: 13: 14.

Præcipio *vobis* coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo JEsu qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam Confessionem, ut servetis Mandatum sine macula irreprehensibile, usq; in adventum Domini nostri JEsu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium. (*t.*) Reformamini *itaq;* in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit Voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.

Observatio Mandatorum in homin. Justo est meritoria.

Observatio Mandatorum saltem non est meritoria, non conducit ad Salutem, non præmiatur à Deo mercede Sempiterna, replicant iterum alii. Sed errant. (*u.*) Reddet *enim* Deus unicuiq; secundùm opera ejus: iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam, iis autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed Factores Legis

gis

t. Rom: c, 12: v: 2: u. Rom: c: 2, v, 6: 7: 8: 13.

gis justificabuntur. (*w.*) Obedite Dominis cum bona voluntate servientes, quoniam unusquisq; quodcunq; fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive Servus sive liber. (*z.*) Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiîs promeretur Deus. (*a.*) Justum est apud Deum, retribuere vobis, qui tribulamini, Requiem nobiscum, in Revelatione Domini JEsu de Cœlo cum Angelis virtutis ejus. *Et ideo scripsi Colossensibus*: (*b.*) Audimus Fidem vestram & Dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in Cœlis, quam audistis in Verbo veritatis Evangelii. *Ideo monui Timotheum*: (*c.*) Divitibus hujus sæculi præcipe bene agere, divites fieri in bonis Operibus, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. *Ideo de me ipso testatus sum:* (*d.*) Bonum certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi, in reliquo rcposita est mihi corona

w. Eph: c, 6: v: 7: &c: z. Hebr. c, 13: v: 16. a. 2. Thess: c: 1: v: 6: 7. b. Col: c: 1. v: 4. 5. c. 1. Tim: c: 6: v: 17: d. 2: Tim: c: 4; v: 7, 8.

rona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus Judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. *Nonnè hæc manifesta? Cùr detinetis veritatem populo?* (e) Revelabitur Ira Dei de Cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.

De bonis operibus liberis non præceptis.

Nonnulli illa Opera bona quæ sponte ad Dei honorem suscipimus, angue pejus habent, imo ex apertissimo pietatis odio peccatum vocant, quidquid expressè non præcipitur in Scriptura. O quantùm à via justitiæ aberratis! Nonne toties monui? (f.) Ambulate dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. (g.) Quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate. *Proinde & vos commoneo:* (h.) Sine offensione estote Ecclesiæ Dei: sicut & ego non quæsivi quod mihi utile, sed quod multis ut salvi fierent.

Contra

e. Rom: c, 1: v, 18. f. Col: c: 1: v: 10. g: Phil: c: 4: v. 8: 9: h. 1, Cor; c, 10. v, 32. 33.

Contra totum id, quod hactenus de Fide & operibus dictum est, quædam è Literis meis excerpta (quibûs assero, homines non ex operibus Legis sed per Fidem justificari) obtrudere soletis Catholicis, pervicaciter renuentes animadvertere, talia non de quibuscunq; Operibus, sed Legis duntaxat Judaicæ, de Circumcisione & similibus, de iis quæ ante Fidem aut sine Fide eliciuntur, manifestè exarata fuisse. Exempli causâ: (*i.*) Scientes autem quòd non justificatur homo ex Operibus Legis, nisi per Fidem JEsu Christi: & nos in Christo JEsu credimus, ut justificemur ex Fide Christi & non ex operibus Legis. Propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro. Si enim per Legem Justitia, ergo gratis Christus mortuus est. *De quibus quæso, Operibus, hìc Sermo est? de qua Lege? de qua Justitia? Profectò non de Lege Christi, non de Lege charitatis, non de Lege Pœnitentiæ, de hac enim toties omnino oppositum asserui, &c:* (*k.*) Factores Legis justificabuntur. (*l.*) Si habuero

Opera Legis Judaicæ rejiciuntur.

i. Gal: c: 2, v, 16, &c: *k:* Rom: c, 2, v, 13: *l:* 1, Cor: c: 13: v, 2.

omnem Fidem, charitatem autem non, nihil ſum. *Cæcus eſt, qui non videt, hæc & ſimilia de Circumciſione & cerimoniis Legis judaicæ dicta eſſe. Numquid eodem cap: 2. v. 14. non arguo Petrum*: quomodo Gentes cogis Judaizare? *Numquid toto capite 3. non tracto de Circumciſione? Numquid capite 5. v. 4. 6. &c: expreſsè non adjeci:* Evacuati eſtis à Chriſto, qui in Lege juſtificamini à gratia excidiſtis: nam in Chriſto JEſu neq; Circumciſio aliquid valet neq; præputium, ſed Fides quæ per Charitatem operatur. *En, non ſola Fides operatur, non ſola juſtificat, ſed per charitatem. Quid clarius?* (*m.*) O inſenſati Galatæ! (*olim adverſùs eos, qui per Circumciſionem, per opera Legis judaicæ juſtificari volebant, juſtô zelô exarſeram*) Quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos JEſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus? Hoc ſolùm à vobis volo diſcere: ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu Fidei? ſic ſtulti eſtis, ut cùm Spiritu cæperitis, nunc,

carne

m. *Gal: c: 3, v, 1, &c:*

carne consummemini. *Nunc quoq; meritò exclamo: O Neopræcones!* quis vos fascinavit non obedire veritati? volo discere, *ubinam scripserim, per solam Fidem, exclusîs charitatis aut pænitentiæ operibûs justificari hominem? ubi, observationem Mandatorum Dei, aut etiam Præpositorum Ecclesiæ, non esse ad salutem necessariam, vel ad eam non conducere?* Eò defecistis, ut carne consummemini. *Eodem prorsus Sensu ad Philippenses scripseram:* (*n.*) ut inveniar in illo (scilicet Christo) non habens meam Justitiam quæ ex Lege est, sed illam quæ ex Fide est Christi JEsu. *Utq; nemo ambigeret, hæc de Justitia Circumcisionis judaica dici, præmisi eodem capite versu* 5. Circumcisus *ego* octavo die, secundùm Legem Pharisæus. *Similiter & in aliis Epistolis loquor, ut Concione prima manifestavimus. Hìc pro complemento Doctrinæ meæ de bonis Operibus, addo:* (*o.*) Si quis aliter docet, & non accquiescit sanis Sermonibus Domini nostri JEsu Christi, & omni quæ secundùm Pieta-

n: Philip: c: 3: 8, 9. o. 1: Tim: c, 6: v, 3, &c:

tem eſt Doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa Quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.

De Fide non vera & vana ſecuritate,

Nec ſolùm bona Opera è via ſalutis protruditis, ſed & Fidem prorſus mirabilem, omnino peregrinam, quam nullibi docui, quæ non eſt Fides ſed præſumptio & vana quædam ſecuritas, excogitaſſe non erubeſcitis: dicentes, crede quòd ſalvaberis per Chriſtum, & proculdubio ſalvaberis: nullum tibi obicem ponent ſcelera, jam Chriſtus ſatisfecit pro omnibus &c: Ubi, quæſo, revelatum eſt, vos in particulari ſalvandos fore infallibiliter, modò idipſum credatis? Deum immortalem! Ideonè Chriſtus Jeſus in hunc venit Mundum? ideonè tam dira ſuſtinuit, ut peccare valeatis ſecuriùs? & non potiùs ideo ut per bona opera (cum metu & tremore vitando peccata) meritorum ejus participes efficiamini? (*p.*) Apparuit enim Gratia Dei Salvatoris

p. ad Titum c: 2, v, 11; &c:

vatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos (*inquo? ut per solam Fidem aut potiùs præsumptionem, absq; bonorum Operum adminiculo, justificari atq; salvari prætendamus? Non: sed*) ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum Gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri JEsu Christi: qui dedit Semetipsum pro nobis, (*ad quid dedit? ut de bonis operibus non simus solliciti, confidentes nos absq; his infallibiliter salvandos per Christum? non: sed*) ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populũ acceptabilẽ, Sectatorem bonorũ operũ. *Ac proinde ibidem Titum adhortor*: Hæc loquere & exhortare & argue cum omni Imperio. *Firmiter quidem sperare debemus, nos per Christum salvandos fore, ubi cum gratia ejus impleverimus, quæ præcepta sunt nobis; non tamen infallibiliter credere, id infallibiliter futurum, quidquid egeris: sed cum humilitate ac Timore Dei, salutem nostram operari.* (*q.*) Omnes enim nos manife-

q: 2, Cor: c, 5, 6; 10: 11.

ſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſq; propria corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum. Scientes ergo, Timorem Domini hominibus ſvademus: *non præſumptuoſam Securitatem.* (*r.*) Itaq; cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. (*ſ.*) Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, perficientes Sanctificationem Spiritûs in Timore Dei.

Præpoſitorum Eccleſiæ Imperio & judicio obtemperandum.

In illam præterea elati eſtis ſuperbiam, ut Eccleſiæ Catholicæ Præpoſitis obedire, eorumq; Judicio in rebus ad Religionem pertinentibus nullatenus velitis acquieſcere. An non præcepi toties: (*t.*) Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis: ipſi enim vigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini Fidem. (*u.*) Noveritis eos, qui laborant & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem

r. Phil: c 2, v, 12: ſ. 2; Cor: c: 7: v, 1; t. Hebræ: c: 13: v, 17, 7: u. 1. Theſ: c, 5, v, 12, 13.

pacem habete cum eis. *Et quidem.* (*w.*) Subditi eſtote non ſolùm propter Iram, ſed etiam propter conſcientiam. *Qui verò id facere reluctatur, hic, ut vitetur ab omnibus, unumquemq; adhortor:* (z.) Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit propriô judiciô condemnatus. (*a.*) Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſvetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei. Non laudo, quòd non in melius, ſed in deterius convenitis. Nam oportet & hæreſes eſſe.

Ut autem impunè Eccleſiæ Præpoſitis recalcitrare valeatis, Juriſdictionem ſpiritualem, imo & judicium in rebus Fidei, toti Populo, aſſentando tribuitis. (*b.*) Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores (*c.*) Nemo ſe ſeducat: ſi quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens. Sapien-

Regimem ſpirituale & judicium de rebus Fidei nõ eſt penes populum.

 tia

w: *Rom.* c, 13: ?, 5: z. *ad Titum* c, 3, ?, 10: 11: a. 1: *Cor:* c, 11: ?: 16: &c: b: 1: *Cor:* c: 12, ?, 29: c: 1. *Cor:* c: 3. ?, 18: &c:

tia enim hujus Mundi ſtultitia eſt apud Deum. Quid? (d.) Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes? Nos infirmi, vos autem fortes? (e.) Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti (*non verò principaliter Populi*) & diſpenſatores Miniſtrorum Dei. Hìc jam quæritur, inter Diſpenſatores, ut Fidelis quis inveniatur: (*ad quem igitur ſpectabit, dijudicare ac diſcernere fidelem? ad populum? ad Communitatem? nequaquam*) Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. *Sicut Chriſtus ita & ego Imperium Spirituale nunquam toti Cætui, ſed certis duntaxat Viris Eccleſiaſticis attribui. Sic monui Titum:* (*f.*) Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni Imperio. *Sic Timotheum*: (*g.*) Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. *Ideoq; laudavi Corinthios*: (*h.*) Glorificatio noſtra quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt, & viſcera ejus abundantiùs in vobis, reminiſcentis omnium veſtrum, obedi-

d. 1:*Cor: c* 4, *v* 10. *e.* 1, *Cor: c.* 4 *v:* 1 *&c: f. ad Titum c,* 2, *v:* 15. *g.* 1. *Tim: c,* 5, *v:* 17. *h:* 2: *Cor: c.* 7. *v:* 14. 15.

obedientiam, quomodo eum cum timore & tremore excepistis: *Delirant autem, qui illud, quod de vanis Judæorum observationibus ac Mandatis, Christo ejusq; Legi adversantibus, scripseram:* (i.) Non intedetes Judaicis fabulis & Mādatis hominum aversantium se à veritate: *Præceptis Ecclesiæ Catholicæ, ejusq; Præpositis (quos toties audiendos esse præcepi) applicare præsumerent.* (k.) *Nonnè* Spiritus manifestè *olim* mihi dixerat: quia in novissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris & Doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam: *Qui id, quod de Manichæis (ex instinctu dæmonum docentibus, non licere nubere, & cibos quosdam ac vinum ideo prohibentibus, quasi hæc in se mala, atq; à malo Deo aut potiùs Diabolo creata essent; cùm tamen omnis creatura Dei bona sit) prædixeram, non verebuntur contra Ecclesiam Catholicam invertere : Quæ nequaquam prohibet nubere; sed solùm vult, ut qui juxta consilium*

i, ad Titum c, 1, v, 14, k, 1, Tim, c, 4, v, 1, &c:

ſilium meum, (*l.*)bonum eſt homini Mulierem non tangere, *jurejurando promiſit caſtitatem, Fidem Deo ſervet: Quæ non prohibet eſum carnium quaſi inſe malum, verùm præcisè in ſalutarem Corporis mortificationem, in compaſſionem Chriſto crucifixo, ejusq; memoriam, certîs temporibûs interdicit. Numquid non ipſi Apoſtoli Act: c.* 15. *v.* 20. *abſtinentiam à ſuffocatis & Sanguine, ad tempus ſtatuerant? Quid? igitur præfata Epiſtola mea, (ſi fas eſſet, vobis credere) etiam illis refragatur? Moneo proinde omnes: Redite ad Cor, ad obedientiam Eccleſiæ, obedite Præpoſitis ejus:* (*m.*) Non ſecundùm carnem militamus: ſed potentia Dei, deſtruentes Conſilia *veſtra*, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: & in promptu habentes ulciſci inobedientiam *veſtram.*

Populus nequit conſtitue re Presbyteros.

Hæc Inobedientia deſtituit Gregem veſtrum Epiſcopîs, ac proinde etiam ritè ordinatîs Presbyteris, & conſequenter valida

l. 1: *Cor: c.* 7: *v:* 1: *m.* 2. *Cor: c,* 10. *v.* 3. *&c:*

lida Sacramentorum Administratione. Quod grande detrimentum ne tantopere apprehendat Populus, Potestatem constituendi Presbyteros eidem, insincerè appingitis. Cùm tamen nec Christus Dominus noster, nec Apostoli ejus, nec Ego unquam id Populo, verùm certis duntaxat & specialiter ad id selectis Viris communicaverim. Profectò venit tempus, de quo enunciaveram: (*n.*) Cùm sanam Doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes aùribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem, (*idest, confictas nuper Scripturæ Interpretationes*) convertentur. *Non utiq; populo sed Tito dictum:* (*o.*) Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut in ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. *Non populo dictum, neminem citò Presbyterum constituas: sed Timotheo:* (*p.*) Manus citò nemini imposueris. *Et ibidem v. 19.* Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. *Et*

q. Noli

n. 2: Tim: c. 4. v. 3. 4. & c: o. ad Titum c: 1. v. 5.
p. 1. Tim: c. 5. v. 22.

(*q.*) Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione Manuum Presbyterii: *Seu ut poſtea me explico:* (*r.*) Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, (*non per Inſtitutionem populi, ſed*) per impoſitionem manuum mearum. (*ſ.*) Notam autem vobis facimus Gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſia Macedoniæ. Cum multa exhortatione obſecrantes nos Gratiam & Communicationem Miniſterii, quod fit in Sanctis Semetipſos dederunt primò Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. *Non ipſi præſumebant conſtituere ſibi Miniſtros, ſed mihi obtemperantes, eos à me expetebant. Idem fecerunt & alii primi Chriſtiani, exempli causâ Corinthii:* (*t.*) *Quorum obedientiam expertus eſt Titus, quando* cum timore & tremore exceperunt illum. (*u.*) Oportet quidem (*Epiſcopum ac Presbyterum*) & Teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum Diaboli. *Aſt Po-*

teſta-

q. 1, Tim: c, 4. v, 14: r. 2. Tim: c. 1, v. 6: ſ. 2. Cor: c, 8, v, 1, &c. t: 2, Cor, c. 7: v 16, u, 1: Tim: c. 3 v 7.

testatem ipsam participare nequit nisi à Viris specialiter ad id ordinatis Ecclesiasticis, quos Episcopos nominant. (w.) Dedit *enim* Deus quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Pastorum in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi. *Quantum verò Vocatio vestra distet ab Apostolica, vel exinde patet quòd nulla in vestro Ministerio reperiantur Apostolatûs Signa:* (z.) Signa *enim* Apostolatûs mei facta sunt, in omni patientia, in Signis, & Prodigiis & Virtutibus.

Siquidem autem Potestate Presbyterali minimè præditi, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, (quod per omnia Christi sæcula permanet in Ecclesia) conficere non valetis, ideo coram populo, ac si non esset fundatũ in Scriptura, respuentes traducitis. Quasi Cæna Domini, in qua Missæ Substantia consistit, non haberetur in scriptura? Quòd etiam Cæna hæc verum sit Sacrificium, advertite. Sed quàm iniquè, advertite. Epistolâ ad Hebræos duplicem Sacrificii modum *De Sacrosancto Missæ Sacrificio.*

w. Eph: c: 4: v, 11, z: 2. Cor: c, 12, v, 12.

dum, quo Salvator noster pro Salute humani Generis, æterno Patri ſeſe obtulit, deſcribo. 1. Sacrificiô cruentô in Ara Crucis, ſemel tantùm. (*a.*) Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in Dextera Dei. Una enim Oblatione conſummavit in Sempiternum ſanctificatos. *Et* (*b.*) Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta, æternâ Redemptione inventâ. Et ideo novi Teſtamenti Mediator eſt. Neq; ut ſæpe offerat ſeipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos Annos, in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc Judicium: Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. *Ex quibus patet, quoties de una Chriſti Oblatione ſufficientiſſima Sermo eſt, id de cruenta in crùce intelligendum eſſe; ſicut & illud,* (*c.*) Hoſtiam & oblatio-

a. Hebræ: c. 10. ꝟ. 12. 14. b. Hebræ: c. 9. ꝟ. 11. 12. 15. &c: c. Hebræ: c. 10: ꝟ, 5. 10.

oblationem noluisti: Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, *de Sacrificiis veteris Legis per sanguinem hircorum & vitulorum fieri solitis, sumi debere.* 2. *de Sacrifico incruento ibidem egi (per quod, unicùm illud cruentum continuò applicatur & in memoriam revocatur hominibus) docens, Christum esse Pontificem & Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedech in æternum.* (*d.*) Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech (*ut prædixit Psaltes, Ps: 109.*) *Et:* (*e.*) Ubi Præcursor pro nobis introivit JEsus, secundùm Ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. *Et:* (*f.*) Manet Sacerdos in perpetuum. Sempiternum habet Sacerdotium. *Iam, quare dicitur Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech? Ideo: Sicut enim Melchisedech Gen: 14. v. 18. Panem & Vinum Deo obtulit, Certè de alio Sacrificio Melchisedech non legitur in Scriptura: & alias frustra Christus à Davide tanquam Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech, propositus fuisset) ac deinde oblata libanda communica-*

d. Heb: c, 5: v, 6. e. Heb: c: 6: v: 20. f: Heb: c: 7: v. 3: 24.

municavit; Sic Salvator noster in ultima Cæna, obtulit panem & vinum, consecrando illa, ac deinde Apostolis libanda distribuit, & similiter offerenda præcepit. Quare autem manet Sacerdos in æternum? quomodo perpetuum ejus Sacerdotium? Quia Christus tanquam causa principalis, per Sacerdotes novæ Legis, velut Ministros suos, perpetuo in Missa seipsum offert Patri pro mundi Salute, in memoriam cruenti illius Sacrificii. Qua enim aliàs ratione diceretur propriè Sacerdos in perpetuum, cùm oblatio ejus cruenta semel tantùm facta sit? (g.) Per ipsum ergo (*velut Mediatorem nostrum*) offeramus hostiam Laudis, id est fructum labiorum confitentium Nomini ejus: *quod ipsum principaliter in Sacrificio Missæ, utpote Eucharistico, id est, Gratiarum actorio consistit. Obscuriùs idquidem Hebræis, proposueram: multi enim protunc adhuc rudes erant, infirmi, & tanti Mysterii nondum capaces. Qua propter, mox ubi Christum, Pontificem secùndùm Ordinem Melchisedech c.5. v. 10. enunciassem, subjunxi immediatè*

g. Heb: c. 13. v. 15.

mediatè v.11. (*h.*) De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum: Etenim cùm deberetis Magiſtri eſſe propter Tempus, rurſum indigetis ut vos doceamini, quæ ſint Elementa exordii Sermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus eſt, non ſolidô Cibô. *Etiam vobis parum de tanto Myſterio hìc & nunc dixiſſe ſufficiat:* (*i.*) Tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteſtis, quia adhuc carnales eſtis. *Suſpiciones autem vanæ, quas quidam afferunt, quaſi Epiſtola ad Hebræos, non ſit mea, abunde jam à Doctoribus Catholicis confùtatæ ſunt. Quamvis enim Epiſtolam hanc non ſic exordiar, à meo videlicet Nomine unà cum vehementiori Charitatis Chriſti JEſu expreſſione, ſicut alias ordinariè, id tamen ideo factum intelligite, quoniam eandem ad omnes in communi Judæos, quos inter, plurimis Jeſu & Pauli Nomen exoſum erat, direxeram: hos itaq; prima ſtatim fronte, ab ulteriori Lectione avertere non expediebat.*

 Et

h. Heb: c. 5. v. 11. i. 1. Cor: c. 3. v. 2.

Conclusio. *Et Hanc Doctrinam, quam hodiè donavi*, (k.) propter vos in Persona Christi donavi, ut non circumveniat vos Satanas: non enim ignoramus cogitationes ejus. *Hæc dicta sunt:* (*l.*) ut cognoscam experimentum vestrum, an obedientes sitis Verbo Dei. (*m.*) Et ne contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, seditiones (*adversus Romanam Catholicam Ecclesiam*) sint inter vos. (*n.*) Prædixi & prædico, ut, præsens & absens, iis qui peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. Quicunq; (*o.*) bonam Conscientiam repellentes circa Fidem naufragaverunt, *nunc verò illuminati sunt, nihilominus tamen resipiscere detrectant, meritò timeant, ne id sibi contingat, quod olim Hymenæo & Alexandro*, quos tradidi Satanæ, ut discerent non blasphemare. (*p.*) Impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam Donum Cæleste, & bonum

Dei

k. 2. *Cor:* c. 2. v. 10. 11. *l.* 2. *Cor:* c. 2. v. 9. *m.* 2. *Cor:* 12. v. 20. *n.* 2. *Cor:* c. 13. v. 2. *o.* 1. *Tim:* c. 1. v. 19. *p.* *Hebræ:* c. 6. v. 4. 5. 6.

Dei Verbum, virtuteſq; venturi Sæculi, & prolapſi ſunt: rurſus renovari ad Pœnitentiam: rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. (*q*) Nolite ergo locum dare Diabolo: (*r.*) contemplantes ne quis deſit Gratiæ Dei. (*ſ.*) Idem (*cum eccleſia Catholica*) ſapite, pacem habete: & Deus pacis ac dilectionis erit vobiſcum: (*t.*) Cui honor & Gloria in ſæcula ſæculorum. Amem.

Ad M. D. G.

q Eph: c. 4 § 27. r Heb: c. 12. §. 15. ſ. 2. Cor: c. 13, § 11. t. . Tim: c 1. § 17